

natus per se vendi non potest, c. *De jure* 16, *De jurepatronat.*, cum similibus.

* « Dubitatur, an possit admitti ab episcopo transactio cum pensione super beneficio, si partes prius de illa convenerint, sed dependenter ab episcopi consensu? Negant Laym. et Reg., sed probabilius affirmant Salm... cum Bon. et Torre. » Ita S. Alph. de Liguori, *Theol. moral.*, lib. III, cap. 2; *De irrelig.*, dub. 3, art. 1, n. 80*.

(21. Prælati seu rector ecclesiæ nequit transigere de rebus ecclesiæ immobilibus, vel pretiosis absque solemnitatibus a jure requisitis. Cum enim transactio sit species alienationis, qua vel rem nobis competentem, aut quam credimus competere, dimittimus, arg. l. *Si quid* 1, § 6 et 9, ff. *Si quid in fraudem*, nequit fieri super dictis rebus, sicut nequit fieri alienatio sine solemnitatibus a jure requisitis, Extravagant. *Ambitiosa*, De rebus eccles. non alienandis.

(22. Potest tamen prælati seu rector ecclesiæ transigere super juribus ecclesiæ in præjudicium sui ipsius, ita ut transactio teneat pro toto tempore, quo ecclesiam possidebit. Sic desumitur ex cap. *Veniens* 7, § *Mandamus*, De transactionibus, et notat Abbas, *ibid.*, n. 1, et Fagnan. n. 2, et communis aliorum, teste Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 36, n. 63. Et ratio est quia talis transactio est potius inter personas, quam inter ecclesias, sicque non realis, sed mere personalis quæ non transit ad successores, ut *ibi* innuit Pontifex: « Cum alias transactio inter personas facta potius quam inter ecclesias videatur, ne pacta inter alios acta, aliis obesse patiamur, etc. » et habet Glossa, *ibid.*, verb. *Inter alios*.

(23. Talis autem transactio personalis super rebus seu juribus Ecclesiæ fit realis et obligat successores, si fuerit a Papa ex certa scientia confirmata. Sic colligitur ex cit. cap. *Veniens* 7, De transactionibus, et habet expresse Glossa, *ibid.*, *Confirmata* ex pluribus juribus *ibi* adductis, et sequitur Fagnan., *ibid.*, num. 3, cum aliis *ibi* citatis; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 64, et alii passim; ac Rota, part. IV recent. decis. 31, num. 2. Et ratio est quia, ut argumentatur citata Glossa, *ibid.*, verb. *Confirmata*, Papa potest facere ut transactio, quæ nulla est, sit aliqua arg. can. ultim. caus. 16, q. 1, et cap. *Cum Apostolica* 7, De his quæ fiunt a prælato sine consensu capituli, adeoque prosequitur dicta Glossa, multo magis potest efficere, ut sit alia, nempe ut ex personali fiat realis, cum plus sit de nihilo aliquid facere quam de aliquo aliud, arg. can. *Revera de consecrat.*, dis. 2, et l. *Rem in præsentem* 1, in princip. cod. *De rei uxoria actione*.

(24. Transactio semel bona fide ac legitime celebrata invita altera parte transigentium revocari aut rescindi non potest. l. *Cum te* 5, cod. *De transactionibus*, l. *Postquam liti* 5, cod. *De pactis*.

(110) Rescinditur etiam transactio, si ex falsis instrumentis facta sit l. 42, cod. *De transact.* Item si metus causa confecta sit transactio. Verum non

* Cum nullus esset litium finis, si a transactionibus bona fide interpositis posset quis facile discedere, ut in l. 10, cod. *De transact.**

(25. Imo talis transactio, ne quidem interveniente rescripto principis, revocari valet, textu expresso in l. *Causas* 16, cod. *De transactionibus*, *ibi*: « Causas vel lites transactionibus legitimis finitas imperiali rescripto rescitari non oportet. »

(26. Item nec talis transactio rescindi potest prætextu instrumentorum de novo postea repertorum ad litem sopitam pertinentium, textu expresso in l. *Sub prætextu* 19, cod. *De transactionibus*, *ibi*: « Sub prætextu instrumenti post reperti transactionem bona fide finitam rescindi jura non patiuntur. » Et concordat l. *Sub prætextu* 29, cod. *eod.*, *ibi*: « Sub prætextu specierum post repertarum generali transactione finita rescindi prohibent jura, » et c. *Sicut grave* 1, *De transactionibus*.

* Nec sub prætextu evictionis rerum traditarum rescindi valet transactio l. *Sub prætextu*, ff. *De transact.* Dummodo tamen inita sit transactio super ipsa re, de qua lis erat, et apud eum qui transegit, jam constituta et retenta, cum videatur periculum in se suscepisse is, qui rem retinere voluit, et de ea ipsa transactionem peregit leg. 33, cod. *De transact.**

(27. Dummodo tamen in supradictis nulla intervenit fraus aut dolus, quia, si adversarius per se vel per alium alteri parti transigenti instrumenta, quibus veritas cognosci potuisset, dolo subtraxisset, sicque defectu talium instrumentorum cum sui præjudicio, ad transigendum coegisset, transactio posset rescindi actione doli mali competente parti innocenti et deceptæ. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Sub prætextu* 19, cod. *De transactionibus*. Fraus enim, et dolus nemini patrocinari debent, cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumac., cap. *Sedes* 15, cap. *Ex tenore* 16, De rescriptis, cap. *Tuæ* 12, De clericis non resident., l. *In fundo*, ff. *De rei vindicat.*, l. *Cum hi*, ff. *De transactionibus*, l. *Legatarius*, cod. *De legatis*.

(28. Unde, si quis graviter lædat alterum in transactione, tenetur in foro conscientie ad restitutionem rei injuste acceptæ seu retentæ, ut certum est apud omnes, et insuper contra eum in foro externo datur actio de dolo malo et rescinditur transactio, si dolus vere intervenisse probetur. *Communis*, per tex. in l. *De dolo* 2, et *Non possunt* 3, cod. *De dolo malo*, l. *Qui cum tutoribus* 9, § 2, ff. *De transactionibus*, cum similibus et juribus num. antecedenti allegatis (110).

(29. Probabilius est quod transactio, etiam bona fide hinc inde celebrata, rescindi possit ob læsionem ultra dimidium. Bartolus in l. *Si quis cum aliter* 36, num. 4, ff. *De verbor. significat.*, et l. *Rem majoris* 2,

quilibet metus sufficit, sed talem metum probari oportet, qui salutis periculum vel cruciatum contineat l. 15, cod. *De transact.*

num 9, cod. *De rescindend. vendit.*, Abbas, in cap. *Cum causa* 6, num. 7 et 8, *De empt. et vendit.*; Engel., lib. I *Decretal.*, tit. 36, num. 14, et Reiffenstuel, *ibid.*, n. 56; Fachineus, lib. II *Controvers.*, cap. 6, allegans Rotam Romanam, in I part. *Novissimar.*, decis. 102, num. 2, et plures alios contra plures alios; et conclusio desumitur ex l. *In summa* 65, § 1, ff. *De conditione indebiti*, ubi propter immodicam læsionem, aut evidentem calumniam permittitur quis adversus transactionem venire. Item ex l. *Si superstite* 5, cod. *De dolo malo*, ubi expresse statuitur quod filia emancipata, et cum patre bona fide transigens, si læsa est immodice, habeat actionem in factum contra patrem. Item ex l. *Rem majoris* 2, cod. *De rescindenda venditione*, ubi rescinditur venditio, in qua intervenit læsio ultra dimidium, et de hoc datur ratio, quia istud *humanum est*; cum autem non sit hoc minus humanum in transactione ob læsionem ultra dimidium, idem de ipsa concludendum est. Et concordat cap. *Cum causa* 6, De emption. et vendition., cum similibus. Tum quia in jure dolus ex proposito, et dolus re ipsa æquiparantur, arg. l. *Si quis cum aliter* 36, ff. *De verbor. significat.*, *ibi*: « Idem est, etsi nullus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habeat; » et tradunt Covarr. in capit. *Quamvis*, part. III, § 4, num. 5, *De pactis* in 6; Gailus, lib. II, *Practic.*, observat. 147, num. 11; Fachineus, lib. XII *Controvers.*, cap. 6, § *Movet secundo*, citans alios; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 58, et alii. Atqui ex læsione ultra dimidium dolus re ipsa apparet atque præsumitur, l. *Omnes* 17, § *Lucius*, ff. *Quæ in fraudem creditor.*, et notant citati auctores cum communi: ergo sicuti ob dolum ex proposito rescindi debet transactio ex dictis supra num. 27 et 28, ita etiam rescindi debet ob dolum re ipsa, sive ob læsionem ultra dimidium; est enim hoc conformius æquitati naturali, ne quis cum alterius jactura locupletetur; et justitiæ commutativæ, quæ æqualitatem inter contrahentes desiderat.

(30. Est tamen vere probabilis etiam contraria sententia, quam tenet Glossa final. in cit. cap. *Cum causa* 6, De emption. et vendition.; Jason, in l. *Si quis cum aliter* 36, num. 33 et seq., De verbor. significat., et plures alii variis muniti juribus, et signanter l. *Lucius* 78, § ultim., ff. *Ad S. C. Trebellianum*, ubi negatur rescissio transactionis super fidei commissio factæ, quamvis ex instrumentis postea appareat quadruplo plus in hæreditate fuisse, et favent l. *Sub prætextu* 19 et l. *Sub prætextu* 29, cod. *De transactionibus*, l. *A divo Pio* 15, § *Pignora* 3, ff. *De re judicata*, et plures alie, quas affert, sed tamen solvit Fachineus lib. II *Controvers. juris*, cap. 6.

(31. Afferuntur varia decreta sacre congregationis Immunitatis concernentia transactionem inter ecclesiasticos et laicos, prout referuntur a D. Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Transactio*, ut *infra*. Transactio seu

concordia inter utrumque clerum et ducem, ac consiliarios reipublicæ Sancti Marini pro collectis certis contribuendis ab ecclesiasticis reipublicæ in perpetuum pro rebus acquisitis ab ecclesiasticis et locis piis, non tamen primæ erectionis, nec pro patrimoniis ad ordines recipiendos assignatis, confirmatur, dummodo exactio dd. collectarum ab ecclesiasticis fiat per deputatos ecclesiasticos. Sacr. cong. Imm., in *Feretrana* 22. Sept. 1693, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 76.

(32. Confirmatur, annuente sanctissimo, concordia super gabella carnis civitatis Oscen. facta inter clerum et civitatem, modo accedat consensus cleri regularis, qui in concordia non interfuit. In hac concordia ecclesiastici se obligabant ad emendas carnes in macellis civitatis cum certis limitationibus et reservationibus, et civitas se obligabat ad solutionem certæ summæ quolibet anno augendæ vel minuendæ juxta augmentum, vel diminutionem ecclesiasticorum in civitate, secundum fidem episcopi. Sacr. cong. Immun. in *Oscen.* 22 April. 1692, lib. *Decret. crimin.*, pag. 122.

(33. Regularibus repugnantibus superscriptæ concordie civitatis Oscen. episcopus præfigat terminum ad deducendum eorum difficultates in sacra congregatione. Sacra cong. Immunit. in *Oscen.* 2 Junii 1693, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 50.

(34. Tandem concordia præfata approbatur juxta declarationem faciendam a D. secretario, quæ præcipue tendebat ad explicanda aliqua loca dictæ transactionis pro manutentione jurisdictionis ecclesiasticæ, et exsequi permittitur, etiam dissentientibus aliquibus ex Regularibus. Sacra cong. Immun. in *Oscen.* 25 Maii 1694, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 124.

(35. Non obstante transactione et aliis contractibus factis per superiorem et regulares cum communitate pro solvendis oneribus laicis pro bonis acquisitis, archiepiscopus tueatur libertatem ecclesiasticam. Sacra congregat. Immun. in *Taurinen.* 14 Januarii 1698, lib. IV *Decretor.* Vallem., p. 133.

(36. Transactio facta ab ecclesiastico de solvendis collectis regiis, est cassanda. Sacra cong. Immun., in *Reatina* 8 August. 1702, lib. III *Decretor.* Vallem., p. 435.

(37. Quoad transactionem inter communitatem, et monasterium sanctimonialium, sacra cong. decernit servandam esse primam transactionem anni 1671 approbatam a Clemente X, quæ eximit monasteria a collectis super bonis acquisitis usque ad illum annum. Sacra cong. Immun. in *Nullius S. Angeli in Vado* 14 Januar. 1698, lib. II *Decretor.* Vallem., pag. 133.

(38. Transactio super rebus ecclesiasticis nequit fieri sine beneplacito Apostolico. *Communis*. Vide verb. *ALIENATIO*, art. 4, num. 12. Et si fiat cum reservatione dicti Beneplaciti, revocari potest, adestque locus pœnitentiæ ante ipsius impetrationem. Rota, part. I, recent. dec. 624, num. 12, card. de Luca, *De benefic.*, disc. 51, n. 5 et 6, cum

aliis Pignatell., tom. I, consult. 136, num. 4, et alii plures.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Jure Romano transactio super relictis in testamento non inspectis tabulis facta, vitiosa est, l. vi, ff. *De transact.* Disquiri vero solet, an transactio hæc moribus sustineatur, si inspectioni huic fuerit renuntiatum, vel juramento ipsa transactio confirmata fuerit?

(40. Simplicem renuntiationem non sufficere existimant Mantic., *De tacit. et ambig.*, lib. 1, tit. 2, num. 2 et seq.; Sand., *Decis. Frisic.* lib. iv, tit. 5, defin. 15, ex ratione illa, quod juri prohibitivo renuntiare haud potest.

(41. At si accesserit juramentum, valere transactionem ex dispositione juris canonici, tenet Vinnius *De transact.*, cap. 5, num. 8, eo quia potest juramentum hoc sine peccato servari.

(42. Cæterum pactum remissorium seu gratuitum, quo renuntiat quis omni illi, quod sibi in testamento relictum est, subsistere, firmant Lauterbach, in *Compend. Jur.* lib. II, tit. 15; Borcholten, *De transact.*, c. 4, n. 20, ea adducta ratione, quod cessat hic ratio illa prohibitiva transactionis, quod homines modico incontinenti dato, inexpectato obvenientia facile repudiare solent; l. 8 princip., ff. *De transact.*

(43. Contrarius vero est Strich., in *Usu modern. Pandect.*, lib. II, tit. 15, § 10: «Verum, inquit, et hic forte existimabit paciscens, parum sibi relictum esse; unde ad liberalem repudiationem exigui lucri facile induci potuit; non idem forte facturus, si quantitatem relictam in testamento scivisset. Nec quidquam stringit Hunnii ratio, quod

SUMMARIUM.

1. Regulares professi non possunt ad aliam religionem etiam strictiorem transire sine licentia Sedis apostolicæ. — 2. Regulares professi transeunt de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem religionem etiam ejusdem ordinis, tenentur in secunda religione novum annum probationis peragere, et ibi professionem emittere. — 3. Regularis professor habens indultum Apostolicum transeundi ad aliam religionem, non potest transire ad laxiorem. — 4. Si tamen indultum sit concessum transeundi ad quamcunque religionem, in qua regularis et claustralis observantia vigeat, tunc potest transire etiam ad laxiorem, dummodo sit religio claustralis et regularis. — 5. Transitus regularium conversorum ad statum clericalem etiam in anno novitatus est prohibitus; unde non potest concedi, nisi a Sede Apostolica. — 6. Et a fortiori, si jam professionem emisissent in statu laicorum et conversorum, non possunt de sola licentia prælati regularis et definitorii transire ad statum clericorum, sed talis li-

(1. Regulares professi non possunt ad aliam religionem etiam strictiorem transire sine licentia Sedis Apostolicæ. Monacell., tom. II, tit. 16, formul. 3, numero 18, Donatus, *Prax. rerum regular.*, tom. II, part. II, tract. 5, q. 22, 11, et communis

illa, quæ in testamento relictæ aut integra repudianda. Hoc enim in ipsa hæreditate concedo, in legato nego. Imo nec legatum pro parte sic accepto, sed integrum; partem vero vi transactionis alteri cedo. Vix ergo sine juramento tale subsistet pactum.»

(44. Pariter jure Romano de alimentis in testamento relictis transigi haud potest, nisi auctore prætore. L. 8, princ. ff. *De transact.*, et l. 3, cod. eod., nisi melior reddatur conditio alimentorum, dict. leg. 8, § 6. (45. At prohibitum haud esse pactum, quo alimenta futura gratis remittantur, tenet Hunnius *De transact.*, c. 3, exercit. 22; Vinn., eod. tract., cap. 6, numer. final.

(46. Sed et contradicit Strich., in *Usu modern. Pandect.*, lib. II, tit. 15, § 11. Adde Coler., *De aliment.*, lib. I, cap. 8, n. 48 et sequent. Accedente vero juramento sustineri transactionem, sentiunt Bachov., hoc titul. *De transact.*, cap. 2, num. 8, Vinn., eod. tractat., cap. 6, num. 16.

(47. An et decretum judicis requiratur in sessione alimentorum ex contractu debitorum, vide apud Rot., in *Romana Cessione* 11 Junii 1713, et in confirmatoria 8 Decembris ejusdem anni cor. clar. mem. *Adrov.*

(48. Reliquum est, ut dispiciatur, an transactio hodie involvat novationem. Affirmat Anton. Faber, in cod. hoc titul., defin. 2. At negat, et quidem rectius innixus in l. final., cod. *De novat.*, Strichius, in *Us. modern. Pandect.*, dict. lib. II, dict. tit. 15, § 4.

(49. Utilis vero est hæc observatio; nam si transactioni haud inest novatio, non liberantur pignora, et fidejussores prioris obligationis. Imo, et pristina actione agi potest, recusante altero implere transactionem; Strich., ubi supra.

TRANSITUS.

centia obtineri debet a Sede Apostolica, ad n. 7.— 8. Conversi transeuntis ex indulto Apostolico ad statum clericalem præcedentia initium sumere debet a die clericatus, non autem a die susceptionis habitus. — 9. Transitus de statu clericali ad illum conversorum, justa causa concurrente, potest fieri cum sola licentia prælati regularis cum consensu discretorum, vel alias, prout cujusque statuta præscribunt. Dummodo transiens in ordinibus sacris non sit constitutus.—10. Quoad ea quæ concernunt affiliationes regularium in aliis conventibus, et transitus eorum ad alias provincias, remissive. — 11. Transitus de ritu Græco ad Latinum, et econtra, non permittitur absque licentia Papæ.—12. Facilius tamen permittitur transitus a Græco ad Latinum, et nunquam regulariter de Latino ad Græcum. — 13. Ratione transitus cadaveris per alias parochias nequeunt ipsi parochi aliquid exigere. — 14. Talis transitus potest fieri per quascunque dioceses et parochias, stola et cruce elevata, etiam irrequisitis earundem parochis. 15. Alia ad rem ad n. 53.

aliorum ex praxi et stylo curiæ, et quoad transitum ad alias religiones edita est novissima a Bened. XIII, const. incip. *Licet sacra.* Vide verb. REGULARES, art. 1, 61, ubi affertur ad litteram.

(2. Regulares professi transeuntis de li-

centia Sedis Apostolicæ ad laxiorem religionem etiam ejusdem ordinis, tenentur in secunda religione novum annum probationis peragere, et ibi professionem emittere. Sic sac. congr. Conc., quæ apud Fagnan., lib. III *Decretal.* in cap. *Ad Apostolicam* 17, De regularibus, num. 67, expresse respondit, «Transeuntem de licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem religionem etiam ejusdem ordinis, teneri in secunda religione novum annum probationis peragere.»

(3. Regularis professor, qui habet indultum Apostolicum transeundi ad aliam religionem, non potest transire ad laxiorem. Conc. Trid., cap. 19, sess. xxv, *De Regularibus*, et sac. cong. Conc., in *Cajetan. Transitus* 4 Mart. 1743, in qua rescriptum fuit, «Transitum ad laxiorem fuisse nullum, et orator omnino intra mensem rediret ad suam religionem.» Sic apud Monacell., tom. IV, Supplem. ad II tom., num. 435.

(4. Si tamen indultum sit concessum transeundi ad quamcunque religionem, in qua regularis et claustralis observantia vigeat, tunc potest transire etiam ad laxiorem, dummodo sit religio claustralis et regularis, quia, cum Apostolicum indultum limitaverit religionem claustralem et regularem, videtur noluisse limitare qualitatem religionis circa arctitudinem majorem vel minorem, alias id expressisset, arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translatione. episcop., § *Sed neque istud*, cap. *Ad audientiam* 12, De decimis, et cap. *Quia circa* 22, De privilegiis. Sic recte notat eminent. Petra tom. V *Commentar. ad const. 3 Calixti III*, num. 9, referens quod cum hujusmodi Breve obtinisset quidam monachus Camaldulensis generaliter ad aliam religionem, ubi regularis et claustralis observantia vigeret: et inde transiisset ad laxiorem canonicorum regularium S. Augustini congregationis Ultiensis: et disputato dubio in sacra congregatione Concilii ex remissione facta per sacram Pœnitentiarum. Sac. cong., in *Taurinensi Transitus* 6 Aug. 1712 rescripsit, «constare de validitate transitus,» nulla facta difficultate circa laxiorem qualitatem canonicorum regularium. Hæc ipse.

(5. Transitus regularium conversorum ad statum clericalem etiam in anno novitatus est prohibitus, unde non potest concedi, nisi a Sede Apostolica: habetur ex decretis Clementis VIII editis pro institutione novitiorum in monasteriis designatis vel designandis, constit. incip. *Cum ad regularem* n. 43, ubi sic expresse statuatur: «Sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possunt.» Quæ decreta Clementis VIII confirmata fuerunt jussu Urbani VIII, a sacra congreg. Conc. in *Decretis de apostatis et ejectis*, et ita card. Petra, tom. IV *Commentar. ad const. 8 Eugenii IV*, n. 6, ubi expresse dicit quod proinde hic transitus fieri non potest, nisi cum licentia Papæ, quamvis jure antiquo id fieri potuerit cum li-

centia superiorum regularium, Passerin. *De statib. homin.*, tom. III, q. 189, art. 8, n. 227; Donatus, *Prax. rer. regul.*, tom. II, tr. 14, q. 14, recte dicens quod optima ratione id factum est, ut juxta præceptum Apostoli, *I ad Corinth.* cap. vii: *Unusquisque permaneat in ea vocatione, in qua vocatus est;* ut auferatur ansa et occasio ambitionis, qua solent homines altiora appetere non sine marmure, et prælatorum molestia.

(6. Et a fortiori, si jam professionem emisissent in statu laicorum seu conversorum, non possunt de sola licentia prælati regularis et definitorii transire ad statum clericorum, sed talis licentia obtineri debet a Sede Apostolica, quæ ad id solet expedire brevibus cum clausula, *De licentia tamen suorum superiorum*, quæ debet intelligi copulative de illa generalis et provincialis simul, prout expresse declaravit sacra congreg. Episcop. et Regular., *De mandato Urbani VIII*, die 2 Aug. 1630, apud Peyrin. *De prælat.*, q. 3, cap. 1, § 6, n. 146, nempe «clausulam, de licentia superiorum in brevibus prædictis appositam, esse intelligendam de generali ordinis, et provinciali oblatorum hujusmodi, ita ut pro eorumdem brevium executione requiratur utriusque licentia et consensus.»

(7. Et quod laici seu conversi professi non possint transire ad statum clericalem de sola licentia prælati regularis, clare habetur ex cit. decr. Clem. VIII, per illa adducta verba: «Etiā durante tempora probationis, non possint;» quæ manifeste indicant a fortiori sic transire non posse post jam emissam professionem. Et id expresse decrevit sac. congreg. Episcop. et Regular. sub pœna suspensionis ab officio superioribus talem facultatem concedentibus, ut refert Nicolius in *Flosculis*, verb. *Conversus*, n. 3, his verbis: Superiores, qui contra decretum Clementis VIII, super receptione et institutione novitiorum 19 Mart. 1603, sub constit. 82 incip. *Cum ad regularem*, § 23, tenoris subsequentis: «Qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint,» dant eisdem conversis licentiam transeundi ad statum clericalem, suspendi debent ab officio ad tempus; transeuntes vero reducendi sunt ad laicalem cum perpetua suspensione a susceptis ordinibus. Hæc ille, adducens ad id decretum sac. congreg. Episcop. et Regular., in *una Minimorum* 14 Februar. 1620, et 25 Jan. 1646. Et sic etiam *eadem sac. congr. Episcop. et Regular. decrevit in una Augustinianorum* 23 Jan. 1631, apud D. Nicolium loco cit. Item pro congregatione Hispaniæ, fratrum Discalceatorum de ordine SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, id statuit Alexander VII, constit. 138, incip. *Pastoralis officii.* Item pro ordine Eremitarum S. Augustini Clemens X, const. incip. *Exponi*, teste Lantusa in *Theatr. regular.*, verb. *Laici, seu conversi*, in supplement., sub num. 2. Et hoc probat praxis et stylus curiæ: et signanter sac. congreg. Concilii, quæ dignis de cau-